

QUÆSTIO MEDICA,

CARDINALITIIS DISPUTATIONIBUS manè diſcutienda in Scholis Medicorum die Jovis ſeptima Martii.

M. JOANNE GARBE, Doctore Medico, Præſide.



An propter vivendi modum divites ſint plebeis pauperibus longæviores?

I.

FACULTAS noſtri opifex, unius cum humore caloris ſocietate conſervatur, hæc ſimul conſtant arcto nexu conjuncta, alter alterius adminiculo ſuſtinetur, caloris alimentum humor, hujus autem ille mutuo reparator exiſtit: viventibus temperies frigida nulla, aut æqualis, nec extremæ ſenectutis frigus vitalis caloris robur poteſt ſuperare; par illorum conditio, ſi tabeſcat calor loco non difflabili concluſus, ita humor non aperto coarctatus loco putredine corrumpitur. Dum calor per ἔκλαμψιν ad certum tempus invaleſcit, humoris, & ſpirituum ſubſtantiam non probes ſemper inclinare, lege in uno quam in altero inæquiore. Recens natis ferax, & ſpiritibus fœcundum, adoleſcentibus & juvenibus plurimum, ſenibus autem imminutum, marcidum, & veluti ineſt crematum humidum primigenium,

his brevior ætas, quæ in illis futura eſt diuturnior, quo in dies augeſcit uberior caloris innati ſubſtantia, ipſis tamen perpetuam (arte licet medica) nemo poſſet polliceri.

II.

CALOR innatus humore non aquoſo, non quolibet, ſed eo qui non facile exſiccatur aëreo & pingui ſervatur, hic dum continetur abundantior tardius inareſcit, modo rerum naturalium uſus ſervetur tempeſtivus & moderatus, & quod effluxerit continenter reponatur alimentis optimis, quorum materiam inſita proprietate ſubigit alterando tota etiam partium ſubſtantia. Plantæ in minimis habent vitæ poteſtatem, parte una ſeneſcente altera renaſcitur, ſicut enim ſpecies animalium generatione individuorum, ita in vegetantibus perpetua partium generatione individuum unum fit quaſi perpetuum: ex ipſis autem diutius vivunt, quæ humidum copioſum pingue, & lentum obtinent, ut reſinoſæ aqueis: ex animalibus terreſtria aquatilibus: ſanguinea exanguibus vivaciora, ex hominibus mares fœminis, graciles obeſis ut plurimum diuturniores. Potuerunt ne prioris potiori jure quam hujus ſæculi parentes longa ſenectute gloriari?

III.

SENECTUTEM non male ſentit quiſquis maraſmum appellavit, in hanc enim poſt ætatis vigorem nos deducit caloris in humidum perennis actio, ita qui vivendi primus author extitit, idem moriendi neceſſitatem tandem imponit, hanc accelerant quæcunque vitæ noſtræ fundamenta evertunt ac diſſipant ut magna per plures dies inedia, vigiliæ juges ac perennes;

curæ graves ac mœrores: crebræ profundæque cogitationes, ambientis nos aëris æstuans intemperies: vini meracioris potus assiduus: morbus acutus & chronicus: frequens & copiosa seminis effusio: plantæ enim non sunt diuturniores quibus coloni cura fertilitatem adjicit & accelerat: sic plebei pauperes propter rerum inopiam suam per longiorem annorum seriem non extendunt vitam.

IV.

DIVITES jure merito cum plebeis pauperibus de vitæ longitudine non contendunt, in illis humidum radicale inest copiosum, & calor innatus alimentum copiose reponit: omnia optimæ temperaturæ in illis leguntur, color ex rubro & albo commixtus, capilli sufflavi, & ut plurimum crispi: moderatus ex musculoso genere habitus, mollities cum temperato calore tangenti gratissima, optima pro voluntate habent alimenta, pane primario & optimis cibis palato gratissimis temperatisque vescuntur: at plebei pauperes contraria præ se ferunt signa, quorum squallida, macilenta, & prædura sunt corpora, capilli nigerrimi vel plus æquo rufi, omnia denique exhibent indicia quæ humores intemperatos prædominari detegunt; miserrimi illi infimæ sortis plebei pauperes, vitam non modo calamitosam, sed perpetuis & concatenatis laboribus instar pecudum addictam degunt, pro victu omnia intemperata, panis secundarius aut caninus, caro bubula, suilla, salita, piperata, caseus & legumina exhibentur, à quibus pravi humores & plures morbi lethales producuntur.

V.

SI magnis parva, ſceptrumque ligoni componere fas ſit, ut magnates tam generis nobilitate, quam virtutum ſplendore plebeorum pauperum progeniem procul à ſe relinquunt, ita pariter bonis ſalubribus ſplendidius elucescunt, miſeramque illorum vitam longævitate exſuperant. Celebris eſt & antiqua maxime utilis apud principes invaluit conſuetudo, ut aſſidentes ſibi prudentiſſimos peritiſſimoſque habeant medicos, qui eis vivendi normas àc regulas preſcribunt convenientes, (ſicque ſi ipſorum conſiliis obſequi voluerint) bonam quam à natura ſortiti ſunt temperiem ſervant & exactam valetudinem diutius tuentur: quod vix animadvertunt plebei pauperes craſſiore luto nati, & efformati maxime qui ruſticam agunt vitam, nullo Medicorum adhibito conſilio, nulla certa ac ſtatuta vivendi ratione utuntur, ſed variis hinc inde incommodis premuntur, curis, ſollicitudinibus, ærumnis, moleſtiiſque afficiuntur, ſicque languidiorem ut plurimum difficiliorem agunt vitam & breviorem.

Ergo propter vivendi modum divites ſunt plebeis pauperibus longæviores.

Proponebat Pariſiis FRANCISCUS GOUEL, Pariſinus, Baccalaureus Medicus. A. R. S. H. 1686.

Apud Franciſcum Muguet, Regis & Facultatis Medicinæ Typographum.